



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronologiae Veteris Testamenti Accvratvm Examen  
Augustißimæ, Invictissimæq[ue] Domui Austriacæ  
Dicatvm**

**Philippi, Henricus**

**Coloniae Agrippinae, 1637**

Gnome, Ad utrumq[ue] paratus: Encomium Avgvstissimi Imperatoris  
Ferdinandi Tertii edisserit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64340)

Blank page with decorative border

G N O M E,

*Ad utrumq; paratus:*

Encomium

AUGUSTISSIMI  
IMPERATORIS  
FERDINANDI  
TERTII  
edidit.

**Q**ualis iubati progenies patris  
Getula fulvis luxurians toris  
Vigore sub primo iuventa  
Cum vegetos validat lacertos,  
Vngues recuruos, oraque vincier,  
Ignara diris plena furoribus  
Obfirmat hosti nascituro,  
Bella animo meditans feroci:  
Jamq; in iuuenos, plenaq; ouilia  
Illum parentis viuidus impetus  
Aptat, repugnantes cateruas  
Terrificis domiturus iris:

ê

Cui



Cui si nouellis cornibus asperans  
Frontem iuuenius, caprea vel leuis,  
Vel mitis accubarit Agnus,  
Sanguineos reprimens furores  
Latus decoris pacificum iubis,  
Miti accubabit Rex nemorum gregi,  
Caudâq; blandiente mulcens  
Præsidium dabit indigenti:  
Talis SECVNDI magnanimum genus  
Est FERDINANDI: quod caput Imperi  
Sublime, victrix, sacrosanctum  
Occidens veneratur Orbis.  
Hunc ad quietos Palladis expetas  
Choros, & omnium gymnadas Artium?  
Per tesqua, Permessiq; colles,  
Perq; sacras Heliconis umbras,  
Lauro impeditum sustulerit caput;  
Comesq; docto Thespiadum gregi  
Oracula Natura repostæ,  
In Clarij feret ora Phæbi.  
Cyclos, Epactas, & Numerum Aureum,  
Orbesq; Solis noctibus obrutos,  
Et tristis Eclipses Sororis,  
Ingenio dabit expedito.

Non



Non indecoro puluere gestias  
Virtutis Illum cernere sordidum?  
Per dura Virtutum subacta,  
Perq; gradus operosiores  
Victoriosum tollere verticem  
Cernas, & altis surgere montibus,  
Quaeis palma cum lauro reposta.  
Merx grauium radiat laborum.  
Hanc Ille magnis nititur ausibus  
(Nec vana spes est) prendere. Nam Fides  
Ardensq; Zelus, Charitasq;  
Et Pietas soboles Deorum,  
Cum temperat à fronte Modestia  
(Qualis Monarcham Christigenum decet)  
Cui mixta Maestas verenda  
Magnanimum Pugilem coronant.  
Amas Gradiui fortia praelia;  
Et Martiales poscis adorea  
Sudore partas, vel cruore?  
Has peperit sibi FERDINANDVS.  
Clemens Amicis, Ferreus Hostibus,  
Virisque Victor splendicat inclytus.  
Testes Ratisbona Penates,  
Et Bauari sola versa campi:



Nortlinga testis, qua stupuit globos  
Inter vibratos fulmineis tubis  
Regale cor ferri, caputque  
Hesperio socium Dynasta.  
Heilbrona testis per sua vindices  
Experta flammam pergamam. Testis est  
Cum Neccaro Rhenus bicornis  
Austriacis rediuius armis,  
Mucosa quando membra leuans solo,  
Et plena tabo vulnera liuido  
Domesticis lauans fluentis,  
Has reduces dedit ore voces.  
O lux beati sideris! o Jubar  
Ter auspiciatum! quod reliquum mihi  
Vitaque, splendorisque seruas,  
Quae sibi Mors spoliū putarat.  
Sat dirus in me saeuierit Gothus:  
Sat Gallicarum Lilia cladium  
Progerminarint: FERDINANDVS  
Romulei dominator Orbis  
Isto vocatus nomine TERTIVS  
Magni domabit progeniem mali;  
Victorijsque Datidais  
Nobilior referet triumphos.

Felix



*Feli & triumphis prerutilantibus*  
*Insiste CÆSAR: seu Tua Palladis,*  
*Seutela VIRTUTIS petantur,*  
*Sis populis AD VTRVMQVE*  
*PROMPTVS.*

Sic

*Honori Augustissimi Imperatoris*

FERDINANDI TERTII

accinebat

WALTERVS KINCKIVS Rhetoricæ apud Patres Soc.  
1655 Colonia studiosus.

